

Heinrich Rudolph Redecker

**Rector Universitatis Rostochiensis Heinricus Rudolphus Redeker/ I.U.D. P.P. ...
Ad exequias, quas Matronae ... Annae Kleinschmiedes/ Viduus moestissimus Vir
... Dn. Jacobus Knesebecke/ Civis & mercator huius urbis industrius Hodierno
die, in aede Jacoboea, paratas cupit, Omnes Academiae Cives amanter invitat**


Rostochii: Kilius, [1667]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771554966>

Druck Freier  Zugang



Redeker, H.R.,
in A. Kleinschmied,
uxorem J. Knesebecke.
R. 1667.





318
RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
HEINRICUS RU-
DOLPHUS Redeker/
J. U. D. P. P. Sereniss. Ducis Mechl. Consil.
Consistorii Ducalis Assessor, & Facult. Jur.

DECANUS,

Ad exequias
quas

Matrona honestissima & laudatissima

ANNÆ Klein-
Hmiedes/

Viduus moestissimus

IR Spectatissimus & integerrimus

DN. JACOBUS
Knesebecke/

Civis & mercator hujus urbis
industrius

Hodierno die, in aede Jacobæa, paratas curis,

Omnes Academiæ Cives amanter
invitat.

ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr.



Salutem !



Meminisse debet homo, qui vanitas est, non tantum, quod aliquando mori debeat, sed quod quavis die, quavis hora, & quovis momento moriatur. Nam omnis dies, omnis hora, imò omne vitæ momentum ad mortem properat. Vitæ hujus primum principium, primum mortis exordium est, quia vita omnis ad mortem tendit. Quicquid enim habet ortum, idem illud currit ad finem, illudque homini cum cæteris rebus creatis commune est. Omnis siquidem dies, & omnis hora ostendit, quod alii alios sequuntur, & quod quemque mors ordine vocat. Lex hæc universi est: nasci, vivere, & mori. *eleganter Senec. Ep. 22. Omne humanum genus, quodcumque est, quodcumque erit, morti damnatum est. Omnes quæ usque quaque ponuntur urbes, ubi fuerunt, aliquando queretur. Idem S. S. Omnes morimur & quasi aqua dilabimur in terram, quæ non revertuntur 2. Reg. 14. Qui præcesserunt & defuncti sunt è tumulis viventibus nobis acclamant: Mibi beri, & hodie tibi: Punctum est quod vivimus, & adhuc puncto minus, quia in statione planè incertâ moramur.* Unde *Senec. in Herc. fur.*

Nulli scriptum proferre diem:

Recipit populos urna citatos.

Quo

Quo morbo, quo tempore, quo loco ex hoc vitæ diverforio debeamus discedere, nulli prænunciatur: proinde omni tempore & omni loco mortem debemus expectare. *memor esto*, dicit Ecclesiastes, *quia mors non tardat*. Et Poeta gentilis:

Longius aut propius, mors suâ quemque manet.

Ad vitam rapiendam innumeros mors habet aditus. Quosdam in somno opprimit insidiosa mors, & ita reperiuntur mortui in cubito, qui sani cubitum iverunt; Alii inter cœnandum, imò inter ridendum abrepti sunt; Alios vis major è medio tollit; Aliis venenata herba, vel vulnus etiam neglectum, vel medicina malè applicata ultimum acceleravit diem, adeoque mille modi sunt avocandi viventes ad plures, letho.

Mille modis lethi miseris mors una fatigat,

Hoc unicum itaque remedium est, quo possumus omnem mortis metum expellere, vel incertitudinem ejus nobis certam reddere, si eam omni tempore & omni loco expectemus. Uti enim suavis dementia est, & periculosa pariter, longam vitam sperare, & futuram ætatem disponere, cum nec crastino quidem dominemur: Ita magna res est, & præ omnibus aliis æstimanda, ut prompti paratique, quando inevitabilis & incerta hora, quæ vitæ decretum insinuat, adventat, nos sistamus, & æquò animo abeamus. Hoc *Eccles. c. 9.* inculcat: *Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo supervenit.* Hanc vitæ humanæ inconstantiam, & mortis cottidiè imminentis certitudinem pie secum expendit *Fœmina honestissima ANNA Klein-Schmiedes*, cui hodie ultimus in hoc mundo paratur honos.

honos. Hæc enim, cum ex communi lege intelligeret, omnes sub ea conditione natos esse homines, ut exuere semel necesse sit mortale hoc corpus, hoc præprimis animo voluit suo, ut corpus humo, & animam cælo, à quo illam precario acceperat, placido animo redderet. Neque equidem vel mores ejus inculpati, vel vitæ probitas, vel erga Deum religio, aliud sentire jubebant: adeoque ad eum semper respexit, à quo se in hanc lucem expositam profitebatur, & qui suo arbitrio res omnes mortalium moderatur ac versat, ejusque voluntati morem in omnibus gessit. Nata autem est optima hæc Matróna 30. die Septembr. hora secunda matutina, Anno 1624. Parentes autem habuit laudatissimi nominis ac celebris famæ: Patrem Virum Amplissimum & Prudentissimum Dominum JOACHIMUM Kleinschmied / Senatorem & Consulem bujus urbis olim optime meritum: Matrem autem WENDULAM Korffs / matronam omnibus muliebrium virtutum ornamentis conspicuam. Avus ejus Paternus fuit mercator & Zytbopus bujus urbis spectatissimus Dominus PETRUS Kleinschmiedt / qui uxorem habuit feminam lectissimam ANNAM Reimers. Avum maternum laudat virum Senatoria dignitate Clarissimum & Consulem bujus urbis Amplissimum Dominum M. JOHANNEM Korff / qui eruditione singulari, & prudentia officium suum condecoravit. Avia autem materna fuit matrona virtutibus, sequiorem sexum commendantibus, ornatissima ANNA Krawels. Proavus paternus fuit vir, si non præclara quadam dignitate, attamen integritate vite laudatissimus JOHANN Kleinschmidt / qui in civitate provinciali Newentahlen honestam egit vitam, eamque cum uxore sua conjunctissima Beste Beestens / tranquille & feliciter transegit. Proavum maternum Hans Frank /

franz / *U* *PROAVIAM MATERNAM ANNA Röhlers / simi-*
liter innocentia morum commendat. Ab hisce parenti-
bus in lucem exposita est pie defuncta, ab iisdem e-
tiam non tantum vitalem traxit spiritum, sed & pietas
& virtutum semina, cum lacte materno, imbibit,
& accrescente ætate eximiè excoluit, ita ut æquis pas-
sibus ætas & virtus procederent. Postquam enim
salutari lavacro renata esset, initia adultioris vitæ &
puellaris ætatis à pietate cœpit, adeoque cœteras artes,
quas honestam puellam scire decorum est, postea lu-
bentissimè addidit. Neque immaturos meditata
est amores, vel illam ætatem, quæ ad verum Dei cul-
tum fingi debet, illicitis conventiunculis aut in ho-
nestis deambulationibus mancipavit, sed quantum à
laboribus domesticis, quibus sedulo addicta fuit, tem-
poris subducebat, illud pietati consecravit, & diligen-
ti sacrarum literarum lectioni, cultuique sacro im-
pendit. Plenis itaque annis cum esset nubilis, & digna
cui cura rei familiaris tuto concedi posset, consilio
suorum, *Viro Spectatissimo Domino JACOBO Rneses*
becken / Civi & Mercatori hujus urbis integerrimo, qui eam
honestissimè ambivit, 26. Julii Anno 1647. solenniter
in matrimonium elocata est: qui viduus ardenti desi-
derio, lacrimisque haud fucatis, conjugem suam di-
lectissimam, cui hodiè funus adornare debet, prose-
quitur. Et causa, cur calidas effundat lacrimas, non
una subest, matrimonium enim illud, ad viginti pene
annos continuatum, animorum conjunctione fuit ju-
cundum, summo enim cum amore hunc suum co-
luit virum, eumque in tuendâ & amplificandâ re do-
mesticâ, quantum potuit, juvit, adeoque officium
veræ conjugis in omnibus explevit, siquidem sine si-
mulatione ac fallacia ardenti ac suavi amore maritum

IN UEN

suum dilexit, in ejusque fide acquievit: Societatem conjugalem sincero pectore initam sine suspicionibus ac pleonexia conservavit, uniusque viro corpus castum servavit, unde non incongruè, quod *Horat. l. 1. Carm. 13.* de pacato conjugio cecinit, huic applicari potuit.

Felices ter & amplius

Quos irrupta tenet copula: nec malis

Divulsus querimonis

Suprema citius solvet amor die.

Nec minus felix fuit hoc conjugium liberorum procreatione, quæ tamen non in multitudine, sed in ingenua sobole consistit, bis namque suavissimam suum maritum patrem fecit, quando duas enixa est filias, *Elisabetham & Wendulam*, quibus, uti incommodissime matris dulcissimæ obitus accidit, ita benedictionem divinam, & omnem prosperitatem vitæ ex animo apprecamur. Nec dubitamus, quin sensuri sint illud Jehovæ, in cujus manibus sortes nostræ sunt positæ: **JUSTORUM GENERATIONI BENEDICETUR.** *Psal. 112. 2.* Eas autem ad pietatem, qui virtutum omnium mater est, imò omnis felicitatis fons atque principium, formavit. *Pietas enim, teste Apostolo, ad omnia utilis est, & habet promissionem hujus & æternæ vitæ.* Et *Ambros. Pietas amica est parentibus, grata Deo, Dominum conciliat, necessitudines fovet: Dei cultura, merces parentum, filiorum stipendium. Pietas, inquam, justorum tribunal, egenorum portus, miserorum suffragium, & indulgentia peccatorum est.* Ad pudicitiam easdem similiter instituit, ea enim, post pietatem, inter reliquas virtutes fœminis convenientes princeps est: quæ, ut ait Hieron: *amissa, omnis in fœminâ virtus ruit, & Liv. nil salvi est mulieri amissa pudicitia.* Ad labores honestos easdem etiam adigit, ne otio deditæ, vitiiis obruantur; labor siquidem & amo-

& amoris & omnium vitiorum domitor est, & ad laborem nascitur homo. Interim hoc matrimonium non fuit exemptum à calamitatibus & miseriis humanis, quibus sæpius boni afficiuntur: Siquidem inter cœteras rei familiaris molestias, nō ultima fuit, quando ante annum præter propter morbo oculorum vehementer affligi cœpit, qui eo gravior est, quod partem corporis exquisitissimi sensus tangat. Huic autem morbo curando mature adhibiti sunt, qui ejus artis notitiam profitentur, adeoque *Vir Experientissimus & Excellentissimus Dominus Johannes Jacobus Döbelius, Med.D. Prof. P. & Civitatis hujus Physicus, Collegæ noster honorando*, una cum perito quodam Ophtalmico, in consiliū vocati, omnem navarunt diligentiam curamque, ut hoc à pie defunctæ oculis expellerent malum. sed quod sæpius in rebus humanis evenire solet, idem in præsentī casu experti sunt, scilicet ex beneplacito divino potius, quam ex consilio & intentione humanā, quæ hominibus accidunt, corrigi posse. Unde *Ovid.*

Non est in medico semper relevetur ut ager:


Interdum doctâ plus valet arte malum.

Adhibita quidem sunt omnis generis pharmaca, nec omissum, quicquā est, quod prodesse crediderunt Medici restituendæ sanitati: Verum enim vero omnia humana consilia & auxilia defecerūt, quin potius morbi vis artem medicam superaret, totumq; corpus pie defunctæ ita debilitaret, ut tandem ultimum vitæ terminum imminere ipsa judicaret. Relictis ergo omnibus mundanis, cum morbi vis vitam ipsi peracerbam redderet, sese ad voluntatem Dei, in qua unicum solamen hominis repositum est, composuit. adeoq; optimo suo marito, viduo jam turbatissimo, & liberis suis suavissimis, orphanis moestissimis, vale & benedixit, & in piis precibus

precibus animum obfirmavit. Quemadmodum enim
à teneris veram pietatem in Deum hausit, & in vita
adultiori tutata est, ita, cum languere inciperet, ad
eam tanquam ad tutissimam confugit anchoram.
Quapropter præterita die Lunæ, ne sine viatico, &
certo æternæ vitæ ac felicitatis simbolo ex hac vita mi-
graret, *Virum Pl. Rerendum & Clarissimum Dominum*
Enochum Suantenium S. S. Th. D. & Ecclesiastam Jacoba-
um fidelissimum, confessionarium suum advocari jussit, qui
eam, post veram peccatorum agnitionem, & annuncia-
tam eorundem remissionem, porrecto viatico Sacrosan-
cti corporis & sanguinis Dominici, inter ardentes pre-
ces Servatori Deo commendavit. Quibus peractis, cum
in humanis consiliis auxiliisve nihil amplius spei esset
reliquum, se ad quietem composuit, & ita die 21 Jan: cir-
ca horam duodecimam, levissimo obitu obdormivit,
&, relicta hac mundi miseriâ, ad æternam beatitudinem
migravit. Uti enim, dum viveret, nihil quicquam prius
antiquiusve habuit, quam ut Deum vitæ mortisque mo-
deratorem devotissimâ mente & sincero corde coleret:
cû proximis autem ita ageret, versareturque, ne quem-
quam læderet, vel ulli molesta esset, sed potius sine su-
perbia, rixa, morositate, & ambitione, vitæ spatium trā-
figeret, ita optimam nominis famam & memoriam re-
liquit. *Hujus itaq; matrona exanime corpus, cum hodie ho-*
ra I. ex adibus mœstissimi mariti sit efferendum, & in templo
Jacobao terra matri iterum mandandum, nostrum erit, Cives
Academici honoratissimi, ad sacra hac mortualia frequentē
presentia convenire, & exequias hæcæ honestissimas exequi.
Adeste itaq; frequentes, & humanitatem vestram, si non
ad nostram invitationem, tamen ad vestram lau-
dem, ostendite. P. P. sub Sig. Rect. 28. Jan.

Anno 1667.






GUSTAV KOCH
Buchbinderei
ROSTOCK.



franz / *U Proaviam maternam ANNA Rō*
liter innocentia morum commendat. Ab hi
 bus in lucem exposita est pie defuncta,
 riam non tantum vitalem traxit spiritum,
 tis & virtutum semina, cum lacte mater
 & accrescente aetate eximiè excoluit, ita
 sibus aetas & virtus procederent. Post
 salutari lavacro renata esset, initia adult
 puellaris aetatis à pietate cœpit, adeoque
 quas honestam puellam scire decorum
 bentissimè addidit. Neque immatur
 est amores, vel illam aetatem, quæ ad ver
 tum fingi debet, illicitis conventiunculi
 nestis deambulationibus mancipavit, se
 laboribus domesticis, quibus sedulò add
 poris subducebat, illud pietati consecrav
 ti sacrarum literarum lectioni, cultuiq
 pendit. Plenis itaque annis cum esset nu
 cui curâ rei familiaris tutò concredi po
 suorum, *Viro Spectatissimo Domino JAC*
becken / Civi & Mercatori hujus urbis integer
 honestissimè ambivit, 26. Julii Anno 164
 in matrimonium elocata est: qui viduus
 derio, lacrimisque haud fucatis, conju
 lectissimam, cui hodiè funus adornare
 quitur. Et causa, cur calidas effundat
 una subest, matrimonium enim illud, ad
 annos continuatum, animorum conjun
 cundum, summo enim cum amore hu
 luit virum, eumque in tuendâ & amplif
 mesticâ, quantum potuit, jovit, adeoq
 verâ conjugis in omnibus explevit, siqu
 mulatione ac fallacia ardenti ac suavi am



the scale towards document